



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de
Lugduni, 1666

XXIV. Vtrum obscuritas sit de conceptu Fidei?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

utraque parte contradictionis proposita antecederet electioni, de cuius ratione est, ut sibi proponatur opposita; neque potest ita amplecti unam partem, ut omnino excludat oppositam; quia caret medio omnino excludente oppositum, atque tollente formidinem. Ergo ita admittit unam partem, ut necessarii formidet de opposita; hoc est, agnoscat possibilitatem oppositi, tam antecedentem, quam consequentem, quantum est ex vi motui, quatenus illi apparet per simplices apprehensiones, quæ formido, & possibilitas solent exprimi per particulam fortasse, possunt verò concipi multipliciter.

Art. 3. Ex his apparet absque sufficienti fundamento, conatos esse aliquos modernos auctores inuenerunt distinctionem formidinis radicalis, & actualis, dicentes, priorem esse essentialem opinioni, non verò posteriorem; cum formido radicalis sit propria simplicium tantum apprehensionum, ad quas consequitur iudicium opinatum, & quas dum intellectus per idem iudicium considerat, non potest non actualiter formidare, ob eandem rationem, ob quam, ex confessione eorum auctorum, necessario formidat actualiter, dum considerat reflexe iudicium probabile directum.

Art. 4. Imò ista reflexio nullam potest unquam nouam formidinem inducere, siue actuale, siue radicale; sed solum potest distinctius, & clarius representare eam, quæ antecederet inest iudicio probabili directo. Nempè causa obiectiva adæquata formidandi est debilitas motui distincti ab enuntiatione probabili, quatenus apparentis per primas eius apprehensiones, aut alias cognitiones præuias; atque hoc motuum considerat enuntiation opinatiua directa; non verò alia supra istam reflexa. Quia motuum huius reflexæ adæquatum, & quidem euidenter cognitum, ideoque nullam de nouo potens cauere formidinem, est ipa cognitio directa. Sed quia hæc cognitio directa cognoscitur clarius per reflexam, quam per seipsam; atque ideo cognoscitur etiam clarius per eandem reflexam, formido actualis identificata cum eadem cognitione directa, propterea irrepsit æquiuocatio confundentibus claritatem de formidine actuali præexistenti aduenientem de nouo, cum ipsa formidine actuali, quasi, & ipsa superueniret de nouo. Cuiusmodi æquiuocationes sunt frequentes in scrupulosi, nec est diuersa longè ratio de speculantibus ad modum scrupulorum.

Art. 5. Certè non facillè apparet cur illi auctores non distinxerint similiter certitudinem radicalem ab actuali; atque illam solam dixerint esse de conceptu essentiali cognitionis tam euidentis, quam obicure, simulque certæ, & consequenter cognitionem, tam euidentem, quam obicure, simulque certam, certam verò utramque radicaliter tantum, componi similiter posse cum opinione actualiter formidolosa, circa idem secundum idem. Quod tamen, cum dici minimè possit, nec unquam quicquam dixerit, neque dici simile aliquid debet de opinione, & eius formidine comparata cum euidentia, aut certitudine obscura. Quia eodem prorsus modo se habent, spectata virtute motui, & modo illud respiciendi, Opinio respectu formidinis, & scientia, atque Fides diuina respectu certitudinis. Ex his patet ad primum.

Ad 2. Non quilibet actus imperfecti sunt impossibiles, cum quibusvis perfectioribus, quia aliqui actus imperfecti excludunt à se, non tamen à suo subiecto, maiorem aliorum actuum perfectionem; Atque huiusmodi sunt actus, quos in exemplum adducit obiectio; non verò sunt eiusmodi opinio, & certa Fides; quia hi duo actus opponuntur inuicem

R. P. Esparza Curs. Theol. Tom. I.

contradictoriè ex parte obiecti, prout representati per ipsos, ut dictum est. Quod non contingit in prioribus illis actibus, ut patet consideranti.

Ad 3. Dicitur similiter simplices eas apprehensiones, quia nihil iudicant, nihil contradicere actui Fidei, uti contradiceret iudicium opinatum.

Ad 4. Theologi, & qui à Theologis docentur, non mouentur per rationes eorum ad opinandum de rebus Fidei; sed ad indicandum esse rationabilia eadem mysteria, etiam secundum discursum naturalem. Unde rationes Theologorum non impediunt exercitium Fidei; sed magis illud reddunt facile, & minuunt repugnantiam naturalem intellectus aduersus eadem mysteria, & causant delectationem peculiarem in professione Fidei, dum agnoscitur eius consonantia cum ratione naturali, & enubantur rationes in contrarium. Quæ est res maximi momenti ad consolationem, & confirmationem fidelium; maxime verò ad conuersionem infidelium, & impugnationem contradicentium Fidei Catholicæ.



QVÆSTIO XXIV.

Vtrum obscuritas sit de conceptu Fidei?



IDEUM non esse. I. Quia, quod scitur, & videtur, non cognoscitur obscure; Fides autem scit, & videt suum obiectum, iuxta illud Pauli supra. *Scio cui credimus. Et ille uidit Christum, ad Thomam Ioan. 20. Quia vidisti me, Thoma, credidisti.*

2. Qui conuertitur ab infidelitate ad fidem, conuertitur à tenebris ad lucem, & aperit oculos, ut constat ex 26. Actorum 18. *Ego mitto te aperire oculos eorum, ut conuertantur à tenebris ad lucem.* Ergo Fides est clara, utpotè illuminata.

3. Non cognoscit obscure, qui potest reddere rationem eorum, quæ cognoscit: Potest autem eam reddere Fidelis. Quia Petrus Apostolus præcipit epist. 1. 3. 15. *Paratos nos esse reddere rationem eius, quæ in nobis est, Fidei.*

4. Ex euidentia credibilitatis, & obligationis credendi absque formidine, inferitur euidenter veritas credendorum propter essentialem connexionem illarum cum ista: Ergo non necesse est Fidem esse obscuram.

5. Angeli, vel saltem eorum supremus; habuere euidentiam in ætate, hoc est, euidentiam de Deo, ut auctore locutionis, cui credere. Cognouerunt enim euidenter eam locutionem non fuisse, cuiusquam sibi par, aut inferioris, & superiorem ipsis neminem esse nisi Deum. Dictum autem est supra, posita ea euidentia, nullam superesse obscuritatem in Fide. Ergo non est de ratione Fidei obscuritas.

6. Omnis cognitionum obscuritas consistit, vel primò in confusione inferiorum sub conceptu communi, vel secundò in cognitionis inadæquatione, latentibus aliquibus prædicatis conuertibilibus cum ratione specifica, quam discernit, vel tertio in cognitione unius obiecti per species, & ad instar alterius, vel denique in defectu motui conuincens. Primum obscuritatis genus dictum est supra non inesse Fidei, & est commune omni cognitioni vniuersali. Secundum est commune omni cognitioni inadæquata, seu non comprehensua, atque adeò etiam creata visioni Dei. Tertium est commune omni cognitioni naturali, tametsi euident sit, de existentia aliisque prædicatis diuinis. Vltimum est commune omni cognitioni opinatiue.

A a a

opinatiue.

opinativa. Ergo esto Fides sit obscura; nulla tamen est peculiaris obscuritas ipsius.

7. Fides est cognitio omnino certa, ut dictum est, ergo est clara. Patet consequentia, quia intellectus nequit nancisci certitudinem absque apparentia clara sui motui, quatenus impossibilis cum opposito eius, quod enuntiatur ab ipso. Nempe unica causa formidandi per iudicium opinativum est, quod lateat, seu non appareat clarè eiusmodi impossibilitas sui motui, cum opposito enunciationis, esto reipsa insit motui, ea impossibilitas, ut scire inest, nec fieri potest, ut non insit, si cognitio est vera, & materia adæquata eius est necessaria. Implicat autem deesse effectum, ubi adest causa eius adæquata necessaria.

Art. 1. Resp. Fides est clara, & obscura comparatione diversorum; Simpliciter tamen est, & dici debet obscura. Et quidem, quod obscuritas Fidei sit coniuncta cum aliqua claritate, constat eo ipso ex loco, qui est celebris pro eius obscuritate. Nempe ex 1. ad Hebr. 1. Vbi Fides definitur, *Argumentum non apparentium*. Sicut enim necessarium est obscura cognitio rerum, quæ in sensu composito ipsius sunt non apparentes: ita necessarium est aliquatenus clara, quæ est argumentum. De ratione namque argumenti est, ut aliquid manifestetur per ipsum, uti notant D. Thomas, & alij communiter in eum locum. Manifestari autem aliquid est, induci aliquam de ipso claritatem, quæ antea non adesset. Idem conspicitur in illis verbis 2. Petr. 1. 19. *Cui benefacitis attendentes, tanquam lucerne lucenti in caliginoso loco*. Ut enim luceat, quin dissipet caliginem loci propriam, eoque remanente nihilominus caliginoso, fieri non potest, nisi permixta caligini claritate, individua lucis comite. Quod autem prævaleat obscuritas patet ex 1. ad Cor. 13. *Videmus nunc per speculum in enigmate*. Et ex communi consensu Theologorum, Fidem dicentium absolute obscuram, absque ulla limitatione: Imò quin claritatis, vilius unquam, aut vix meminerint. Verum innotescunt hæc magis facta singillatim comparatione Fidei cum cæteris cognitionum generibus.

Art. 2. Est itaque clara nostra Fides comparatione Ignorantiæ, Erroris, & Opinioni. Comparatione quidem Ignorantiæ, & Erroris, quia manifestat veritatem latentem penitus sub ignorantia, & apparentem sub errore modo contrario, ac est in se; hoc est, latentem deterius, quam si nullo modo attingeretur. Comparatione verò opinionis, quia Fides essentialiter præsupponit evidentiam credibilitatis absque formidine fundatam in effectuum supernaturalium evidentia, per quos exhibet se Deus, usque adeo conspicuum, quatenus Auctorem locutionis, ut faciat videre evidenter obligationem cedendi auctoritati suæ, eique adharendi contemptis omnibus, quæ in contrarium occurrunt, & occurrere possunt, ita ut hoc motuum apparens, quantum apparet omni credenti, seu proxime potenti credere Fide divina, evidenter cognoscatur debere præferri quibuscumque alijs motibus; utcumque apparentibus. Nulla autem opinio habet in se formaliter, aut essentialiter præsupponit evidentiam eiusmodi de credibilitate, seu enuntiabilitate absque ulla formidine, & de motivo, quatenus hic, & nunc apparet, præferendo omnibus alijs motibus, utcumque apparentibus. Quia eo ipso desineret esse opinio, ut liquet ex eius quidditate exposita in quæst. præced.

Art. 3. Eadem Fides comparata cum cognitione naturali metaphysicè evidenti, se habet, tanquam excedens, & excessum. Excedit enim Fides, quatenus manifestat cum distinctione, certitudine, & claritate modo dicta, veritates, quas nulla ratio naturalis, manifestare sic potest, neque mediata, neque immedia-

tè, vel simpliciter, vel saltem, ut subsunt tali motivo. Exceditur verò Fides quatenus cognitio evidens, vel videt immediatè suum obiectum, ut est in seipso, vel videt connexionem obiecti sic visi, cum eo, quod cognoscit evidenter, hoc est ex visis, quin videat illud immediatè, ut est in seipso; seu, quod eodem recidit, videt consequentiam ex viso immediatè, ad non visum immediatè. At Fides, nec videt immediatè, ut est in seipsa primam veritatem revelantem, quæ est eius motivum, quia ipsam cognoscit per species alienas rerum creaturarum, quæ fundant credibilitatem; Nec videt connexionem earundem rerum cum eadem prima veritate, ut revelante; Licet hæc connexio reipsa insit illis rebus. Nec enim sufficit qualicumque essentialis connexio unius entitatis cum alia, ut terminus connexionis innotescat explicitè, sub omni formalitate, sub qua terminat connexionem; sed necessarium insuper est, ut adit similitudo, & participatio activa, vel passiva inter entitatem connexam, & terminum connexionis.

Art. 4. Hac nimirum de causa licet omnes, & singulæ res creæ connectantur essentialiter cum Mysterio Trinitatis, non minus quam connectantur v. sio Dei, nostra de illo fides, & unio hypostatica; tamen non potest idem Mysterium evidenter cognosci, vilius obiecti creati, etiam si comprehensivè cognoscatur; quia nulla res creata habet, seu participat modum essendi similem: sed potius oppositum modo essendi Dei; quatenus trinus est. Eadem de causa David conficit duo leorsim Argumenta pro duobus Dei prædicatis; tametsi utrumvis Antecedens cum utroque prædicato, & consequenti essentialiter connectitur, dum dixit. *Qui plantavit aurem, non audiet? Aut qui finxit oculum non considerat?* Quia scilicet aures nostræ participant perfectionem Dei, quatenus percipientis nostras preces, & collocaiones; oculi verò, quatenus considerantis, & insipientis res alias. Ratio universalis, cuius est plurimus usus, præsertim in quæstionibus de Deo, est: Quia cognitio essentialiter est imitatio, & similitudo sui obiecti. Nequit autem fingi imaginem alicuius dependentem à prototype, quatenus non habente similitudinem cum illo; seu quoad id, penes quod nulla est inter utrumque similitudo: aut participatio, vel activa, vel passiva. Patet autem Miracula, aliasque operationes supernaturales, quæ adiunguntur à Deo vocibus articulatis, & alijs signis æquivalentibus, non assimilari primæ veritati revelanti, ut revelanti, licet sint effectus proprii voluntatis revelandi, atque cum ipsa essentialiter connectantur. Ergo videri in illis, seu evidenter, ac perfectè cognosci nequaquam potest prima veritas revelans; sed imperfectè, & cum assimilatione quadam obscura, ac valde degeneri.

Art. 5. Denique si Fides comparetur cum visione Dei, omnino exceditur ab ea. Quia visio, & cognoscit Deum, ut est in seipso, & manifestat explicitè omnia, quæ manifestantur per fidem, & plura insuper alia. Unde claritas visionis excedit fidem, & quoad prædicata manifestata, & quoad modum manifestandi. Quia verò hic excessus visionis respectu fidei est multò maior, quam sit excessus fidei respectu cognitionis naturalis, siue probabilis, siue evidenti, patet à toto genere, omnibusque consideratis, fidem esse absolute, & simpliciter obscuram. Et quidem fidem prædicari obscuram in Sacris literis, non tam comparatione aliarum cognitionum, quam comparatione visionis Dei, constat ex locis paulò ante indicatis pro eadem obscuritate; quia D. Petrus Lucernæ lucenti in caliginoso loco annectit immediatè; *donec dies elucescat, & Lucifer oriatur*. Et D. Paulus fidem appellavit Enigma, per antithesim inter ipsam, & visionem: *Nunc per speculum, & in enigmate; tunc autem facie,*

ad faciem. Comparatione enim ignorantiae, & cognitionum naturalium, claritas magis, & illuminatio, ac depulsio tenebrarum conuenit Fidei, & visio quodammodo dici potest ob rationem datam.

Ad 1. Apostolus dicit se scire cui crediderit, vel quia sciebat, quanta esset veracitas Dei, cui crediderat; vel quod magis approbat ibi D. Thomas, quia sciebat cui commiserat, & apud quem deposuisset se, suosque labores, & ærumnas. Est enim hæc etiam verbi *Credendi*, significatio haud impropria, & contextui Apostoli admodum accommodata. Iam Thomas Apostolus aliud vidit, & aliud credidit; qui vidit hominem, & credidit Deum, ut dicunt D. Gregor. D. Thomas, & alij communiter. Vel quia, ut dicit Suarez, vidit exteriorem hominis apparentiam, & credidit certò veram eius existentiam substantialem, de qua naturaliter poterat formidare in illis circumstantiis.

Ad 2. Patet ex dictis, fidem esse, & merito dici clarissimum lumen, & oculos proinde apertos eum habere, qui illi accommodat intellectum; comparatione errorum, & opinionum superstitiosarum.

Ad 3. Apostolus vult nos esse paratos ad reddendam rationem volendi credere, & credibilitatis Mysteriorum Fidei. Nam rationes, quæ euidenter conuincunt veritatem eorum, quæ creduntur, sicut nullæ nobis suppetunt, ita nec exiguntur per Apostolum à credentibus. Tales namque rationes non essent rationes fidei; sed scientiæ.

Ad 4. Non sufficit quilibet vnus rei connexio cum alia, ut euidenter cognoscatur posterior ex vi prioris, sicut nuper explicatum, & demonstratum est. Vnde etiam constat, talem esse insufficientiam connexionis, quæ conuenit argumentis Christianæ Fidei respectu Dei, ut reuelantis.

Ad 5. Constat ex quaest. 19. præsertim ad 3. Evidentiam, quæ dicitur, in attestante, seu de Deo, ut auctore locutionis, repugnare fidei. Quare Angeli, si quidem habuere veram fidem, non habuere evidentiam, quæ dicitur, in attestante; atque adeò non potuerunt euidenter cognoscere, quò pacto, aut quo auctore extitisset ea locutio, quæ reuera erat Dei, & an esset, vel non esset in rerum natura alius à Deo distinctus, qui sic loqueretur. Licet euidenter cognoscerent esse credibile absque formidine, Deum esse eius auctorem, quod fieri à Deo potuisset, licet non facile explicetur per conceptus vltimò específicos; facile tamen in vniuersum concipitur cum assensu, & suadetur efficaciter exemplo eiusmodi locutionis ad homines. Suppetunt enim Deo totidem proportionales modi loquendi cum Angelis, atque nobiscum. Idem autem dicendum est à fortiori, quoad inevidentiam attestantis Dei, de primis quibusque hominibus fidelibus, immediate edoctis à Deo.

Art. 1. Ad 6. & 7. Constat iam ex dictis, quatenus sit communis alijs actibus, & quatenus specialis, ac propria fidei obscuritas, quæ illi conuenit, & quæ ratione coherere possit cum certitudine exclusiua omnis formidinis. Verum quia coherencia, & coniunctio obscuritatis cum certitudine apparet difficilis, diciturque à Suarez, *Magnam mysterium actus Fidei*, & coëgit nonnullos Theologos ita loqui, ut videantur certitudinem fidei vnicè reuocare in actum præuium voluntatis firmiter proponētis non eam deferere ob vllum omnimò motiuum contrarium. Quod tamen nequaquam dicendum, aut ferendum est, cum eiusmodi certitudo sit erroribus quoque communis, ut notatum est quaest. 22. init. Quia, inquam, hæc ita habent, oportet difficultatem istam aliquantò plus exponere, ut perspicatur, coniunctionem istam obscuritatis, & certitudinis, ita esse difficilem, ut tamen sit valde rationalis, nec possit falsitatis conuinci.

R. P. Esparza Curs. Theol. Tom. I.

Art. 2. Obseruandum itaque est, quò maior est auctoritas loquentis, eò maiorem firmitatem refundi in assensum audientis, non modò cæteris paribus, sed & aliquatenus imparibus. Maioris enim momenti habetur textus Aristotelis efficacibus coniecturis in propriam sententiam inductus, quàm expressum Ammonij, aut Philoponi testimonium. Magis fidimus simplici hominis veracis assertioni, & veracissimi insinuationi, quàm mendacis iuramento; sicut summissus reueremur supremum Principem sublucentem dubiè per transennam, quàm eius subditum toto corpore prominentem, ac conspicuum. Atque in omni vniuersum genere, quò vniuersumque præstantius est, eò indiget paucioribus adminiculis, & minori circumstantiarum adiutorio ad effectus æquales, imò, & ad maiores, si præstantissimum sit. Nec enim maius esse potest, quò nullum excessum ex se præcisè inducere potest; neque maximum esse potest, ex quo non prouenit excessus incomparabilis. Cum ergo auctoritas diuina sit omni motiuo purè creato maior; atque absolute suprema, ac infinita. Mirum esse non debet, certè impossibile reputari non potest, quò obscure transpatens, inducat nihilominus in actum, tantam, imò, & simpliciter maiorem certitudinem, non solum affectiuam, sed etiam intellectualem, quàm possint inducere obiecta purè creata clarissime visa, agnoscente intellectu tutiorem sibi patere viam ad veritatem, per obscuram manuuctionem Dei, quàm per creaturarum clarissimas significationes.

Art. 3. Accedit cognitionem diuinam esse regulam cognitionis humanæ. Quia primum in vnoquoque ordine est regula cæterorum; quò non conuenit vlli alteri obiecto, aut auctoritati purè creatæ. Vnde, ut infert D. Th. in 3. dist. 24. ar. 3. ad 1. q. 2. Aliis obiectis, aliisque testimoniis, eatenus præcisè assentiri, ac adherere debet homo, quatenus ratio de re ipsa conuincit: Testimonio autem diuino adherere tenetur, ut regulæ suæ, vltra id etiam, quò eadem ratio de re credita d' rectè conuincit. Quò rursus accedit, sicut pertinet ad obsequium nostrum captiuare intellectum in cultum, & reuerentiam diuini testimonij adherendo ipsi super omnia; ita etiam pertinere ad diuinam Providentiam ne decipiamur, dum id obsequium præstamus, ducti rationibus demonstrantibus euidenter nos aliud, facere prudenter minime poss; licet non demonstrent euidenter verum esse, aut, quò eodem recidit, dictum esse à Deo quò credimus.

Art. 4. Istæ rationes adiutæ lumine infuso Spiritus Sancti, sunt proculdubio sufficientes ad excludendam omnem formidinem, & inducendam summam adhesionem respectu diuinæ reuelationis sufficienter propositæ, prout dictum est supra, & exponetur magis quaest. 26. Eademque rationes discriminant fidem diuinam ab omni humana opinione. Omnis namque opinio humana est formidolosa, non præcisè propter obscuritatem circa suum motiuum secundum se, aut circa connexionem eius cum obiecto materiali; sed quia præterea caret ratione euidenter demonstranti, deberi tali motiuo sic proposito summam adhesionem, & conuenire vim depulsiuam omnis formidinis, si ipsi, uti par est, adhæreat intellectus.

Art. 5. Quare obscuritas specialis, ac propria Fidei consistit in duobus, nimirum in defectu motiui conuincentis intellectum, quoad veritatem rei creditæ, quò est ipsi commune cum opinione, & in præsentia motiui euidenter credibilis absque formidine: hoc est valentis excludere omnem formidinem à fide ipsius per euidentem credibilitatem absque formidine, hoc est, per euidentiam conditionatam de exclusionem formidinis, si adit voluntas adherendi per

Aaa 2

intellig

intellectum tali motiuo, vti potest, ac debet adherere, qui habet talem præcognitionem; quo differ hæc obscuritas ab obscuritate opinionis. Differt igitur ab ea, quia est minor obscuritas, & maior claritas in eodem genere, vt notatum est supra. Potest autem minor obscuritas, adeoque maior claritas circa fundamentum firmissimè assentiendi excludere formidinem, quam nequit excludere obscuritas maior, & minor claritas circa idem.



QVÆSTIO XXV.

Vtrum scientia, & Fides sint inuicem impossibiles?



IDENTVR non esse impossibiles. 1. Quia plures ex his, qui accedunt ad Deum, cognoscunt euidenter ipsum existere; & nihilominus credunt idipsum, iuxta illud Pauli ad Hebr. 11. 7. *Credere oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Eodem pertinet, quod dicitur in eodem capite v. 3. *Fide intellegimus aptata esse secula verbo Dei.* Quia Deum esse auctorem vniuersi, quod est aptata esse secula verbo Dei, euidenter cognoscitur ratione naturali. Idem similiter confirmat conuersio Philosophi naturaliter bene eruditi, qui propterea ratione naturali euidenter præcognoscit plura ex his, quæ docetur, & tenet per fidem post conuersionem, quæ vel per scientiam impediatur à conuersione ad fidem, vel per fidem amittatur scientiam præexistentem. Ergo componitur fides cum scientia in eodem, circa idem, & secundum idem.

2. Non repugnat assensus eiusdem obiecti, sicut nec amor ex duplici motiuo, siue adæquato, siue inadæquato, & motiuum Fidei non habet specialem impossibilitatem cum motiuo scientiæ. Quia obscuritas, quæ sola posset existimari repugnans claritati motiui scientiæ, non habet rationem motiui, cum sit pura negatio. Ergo non solum idem intellectus, sed etiam idem actus potest assentiri eidem veritati ex motiuo scientiæ, & Fidei simultaneè.

3. Euidencia credibilitatis mysteriorum nostræ Fidei, & obligatio ea credendi, sunt de fide, & tamen credi non possunt absque præuia eiusdem credibilitatis, & obligationis euidencia existenti pro priori natura ad ipsam fidem, vt dictum est supra. Ergo simul creduntur, & sciuntur.

4. Theologi solent easdem veritates comprobare testimoniis diuinis, & rationibus euidentibus, quod perperam fieret si vtrisque motiuis non posset simul moueri intellectus: Neque enim possent mouere intellectum demonstrationes Theologicæ absque iactura Fidei; cum è conuerso communiter reputentur, & meritò, viles ad confirmandam Fidem. Vtiles autem esse non possunt rationes, quæ considerari, & mouere non possunt pro illo ipso instanti, pro quo exercetur actus Fidei; sed ante, vel post eius exercitium.

5. Euidencia physica de aliquo obiecto, est compossibilis cum Fide de eodem secundum idem, quod communiter probatur exemplo Thomæ Apostoli, videntis, & palantis Christum Dominum viuum, simulque credentis ipsum viuere; Imò credentis, quia videbat, vt constat ex testimonio Christi dicentis, *Quia vidisti me, Thoma, credidisti.* Probatur etiam, quia euidencia purè physica subest absolute falsitati. Ergo intellectus habens talem euidenciam potest adhuc querere maiorem certitudinem per actum Fidei diui-

na, atque per eundem vltimò quietari. Ergo non omnis euidencia est impossibilis cum Fide.

6. Visio beata Dei est compossibilis cum Fide secundum diuersas formalitates, quia visio creata Dei non est comprehensiuua ipsius, ac proinde ignorat Deum secundum aliquas formalitates. Ergo quoad illas potest simul haberi fides. Quælibet autem visio immediata Dei cognoscit clariùs Deum secundum omnia ipsius prædicata, quàm quælibet cognitio scientifica naturalis, possit cognoscere aliquod eiusdem prædicatum. Ergo à fortiori possunt componi scientia, & fides de Deo secundum idem ipsius prædicatum.

Art. 1. Resp. Habitum fidei, & habitum scientiæ, atque vtrumlibet eorum cum actu alterius componi posse in eodem intellectu circa idem secundum diuersas formalitates, communis, & vera suppositio potius quàm sententia Theologorum est. Nec dubitatur quin fides sit compossibilis cum euidencia circa terminos incomplexos, quia illos ab omnibus aliis euidenter discernit, saltem quoad quid nominis, nec non inadæquatè, quoad quid rei, & quia est. Controuersia igitur solum est de complexione affirmata, vel negata formaliter, & directè per fidem, eaque adequatè lumpa, siue de actu fidei, quatenus affirmante, vel negante aliquid formaliter, & directè.

Art. 2. Negandum autem est vniuersaliter, actum fidei posse componi circa idem secundum idem cum visione, siue beata, siue rei creata; aut cum scientia siue primorum Principiorum, siue habita per veram qualemcumque demonstrationem. Negandum verò principaliter est, propter auctoritates, quæ in hanc partem sub propriis terminis magno pondere incumbunt. Apostolus enim in primis 1. ad Hebr. 1. fidem definit: *Argumentum non apparentium.* Nequeunt autem propriè, & simpliciter dici non apparentia, quæ per visionem, aut scientiam apparent, licet non appareant per ipsam fidem. Accedit Apostolum toto deinceps capite, exponere eam definitionem exemplo illorum, qui crediderunt, quæ nullatenus videbant; atque inter cæteros de Noè sic habet vers. 7. *Fide Noè, responso accepto in somnis de iis, quæ adhuc non videbantur, metuens arcam.* Accedit rursus D. Thomas dicens in commentario huius loci, definitionem istam Apostoli expressè esse contra Manichæos, dicentes non esse credendum, nisi vnde habetur ratio. *Contra quod dicit, ait D. Thomas, non apparentium.*

Art. 3. Imitatur Apostolum Augustinus tract. 40. in Euang. Ioan. longè ante finem, sic definiens. *Quid est fides, nisi credere, quod non vides?* Vnde infert immediatè. *Fides ergo est, quod non vides credere.* Et paulò post contraponit inuicem, *Credere, & videre*, tanquam impossibilia: *Veritas est, sed adhuc creditur, nondum videtur.* Eodem prorsus modo, ac de beatitudine dicitur. Adhuc speratur; nondum habetur. Subscribit Augustino Magister iisdem verbis, in 3. dist. 23. sub init. *Fides est virtus, ait, quæ creditur quæ non videtur, & iterum paulò post, Virtus est quæ, non visa creditur.* Manifestum verò est, apud Augustinum, & Magistrum, visa dici, etiam quæ sunt ex visis; idest, euidencia omnia.

Art. 4. De D. Thoma longum esset dicere quot locis, & modis exprimat istam sententiam. Sufficit eum videre in hac 2. 2. q. 1. ar. 4. & 5. & ar. 6. ad 2. Notanda præterea est forma definitionis, quæ exponit adductum Pauli testimonium lect. 1. in illud caput versus finem. *Fides est habitus mentis, quo inchoatur vita æterna in nobis, faciens intellectum adherere non apparentibus.* D. Bonau. in 3. dist. 24. art. 2. quæst. 1. & 3. non tam docet, vt veram, quàm supponit, vt indubitatam istam sententiam. Docet enim ex professo, fidem posse componi cum visione sensibili, & scientia in eodem